

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

68. Aqua calcinans omnia corpora Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

68. Aqua calcinans omnia corpora
Lullii,

Magiæ Naturalis, p. 359.

& **D**E terra id est D. (*de vitriolo azoqueo*) uncias quinque & semis, & de aqua id est C. (*de salepetræ vel nitro*) uncias duas & semis, cujus summa est pondus octo unciarum, & totum mixtum subtiliter moles in marmore, tunc pones in vase vitreo cum alembico superposito, & destilla totam materiam, primo faciendo ignem lentum de ferratura lignorum capiendo de ea duas partes, & de carbonibus parvis vel tritis partem unam cum dimidia, & parum de furfure sicco, & accende ignem, & dimitte, ut deinceps accendatur per se, quousque incipiat destillare ab uno puncto usque ad duodecim (*viginti*) puncta & tunc cum parvis lignis incipias fortificare ignem, faciendo ignem flammæ rectè sub materia, & sic continua ignem quousque revertatur ad duodecim vel quindecim puncta, vel etiam in pauciora, & postea continua totum ignem secundum puncta suæ destillationis, & postea fortifica ignem per unum punctum ulterius, & illum continua quousque alembicus perdat suum calorem vel amplius non destillet, tunc cessa, & dimitte in frigidari, collige illam aquam & serva in loco calido & humido, & caveas, ne aliquo modo possit respirare. Et memento, quod habeas pallam (*paleam*) in lutamento rostri alembici & collo receptaculi, ut aliquando illam extrahere possis, ut recipiens habeat respiraculum, quoniam tantus est ibi subtilis calor, ut vas continens sufferre non possit calorem illum excessivum; ergo quandoque oportet, ut aperiatur, & quandoque claudatur. Nota, quod hæc aqua ex re vili facta, habet vigorem convertendi corpora in suam primam materiam, quæ conjuncta virtuti vegetabili est multæ perfectionis, & statim postquam destillata fuerit vult poni ad practicam, ne spiritus, qui est subtilis & extraneæ naturæ pereat per aërem.

Idem menstruum describitur in Clavicula Lullii sub hoc titulo;

69. Men-